$150.-

CODICES E VATICANIS SELECTI

PHOTOTYPICE EXPRESSI

IVSSV

PII PP. X

CONSILIO ET OPERA CVRATORVM

BYBLIOTHECAE VATICANAE

VOLVMEN IX

CASSII DIONIS COCCEIANI

HISTORIARUM ROMANARUM LIB. LXXIX. LXXX

QUAE SUPERSUNT

CODEX VATICANUS GRAECUS 1288

PRAEFATUS EST

P. FRANCHI DE' CAVALIERI



ROMAE
EX TYPOGRAPHIA VATICANA
MDCCCCVIII

IMPRIMATVR:
Fr. Albertvs Lepidi, O. P., S. P. Ap. *Magister.*

IMPRIMATVR:
Iosephvs Ceppetelli, Patr. Constant., *Vicesgerens.*

MARIANO · RAMPOLLA · DEL · TINDARO

VIRO · EMINENTISSIMO

ANNVM · XXV · POST · SVSCEPTVM · EPISCOPATVM

AGENTI

CVRATORES · BYBLIOTHECAE · VATICANAE

GRATVLABVNDI · D · D ·

PATRONO · OPTIMO



PRAEFATIO.

I. - Codicis historia.

FRAGMENTUM Cassii Dionis praeclarissimum, quod, imagine phototypa nunc primum integre repraesentatum, in lucem edimus, Fulvii Ursini scrinia exornasse nemo est qui ignoret. Unde vero illud sibi comparaverit vir doctissimus, neque ipse declarandum censuit, cum anno 1582 κειμήλιον suum typis volgaret [1], neque nobis alibi reperire concessum est. Ex diligentissima inspectione membranarum, ubi nulla antiquiorum possessorum nomina exstant, id tamen didicimus, folia pretiosissima media quae vocatur aetate Menologio cuidam fuisse adsuta loco custodiae. Saeculo enim fere XII in summa pagina 2 adnotatum est βηβλῆον τὸυ δεκηβρῆου μὴν̊, id est βιβλίον τοῦ δεκεμβρίου μηνός, et in margine inferiore paginae 23 μετὰφραση (= μετάφρασις). Menologia in duodecim partes, vel libros, singulis anni mensibus respondentes, saepe dispertita fuisse et Symeonì illi τῷ μεταφράστῃ iure iniuria tributa, adeo tritum est, ut paene mireris Ursulum Philippum Boissevainum (licet in codicibus hagiographicis minus versatum) alteram adnotatiunculam omnino praeteriisse et alterius sententiam non intellexisse [2].

Adnotatiuncularum scriptura et vitia hoc insuper demonstrare videntur, Menologium, cui Dionis paginae quandoque adiectae fuerunt, in aliquo Italiae inferioris coenobio vel descriptum fuisse vel adservatum. Nominibus abstinemus; sed casu factum esse vehementer dubites, quod lemmata nonnulla, quibus Dionis margines inspersi sunt (vide praesertim pag. 2 imo marg. περι φαρμακων), litterarum formis ductuque (haud ita communi in codicibus nostris) parum discrepent a codice Vaticano graeco rescripto 2061 A, olim Rossanensi. Cui dubio id quoque suffragari putamus, Rossanensis codicis scripturam antiquam tam insignem cum Dione praebere similitudinem, ut uterque liber vetustissimus uni eidemque aetati, uni eidemque regioni debeat (nisi egregie fallimur) vindicari.

At quidquid de Menologii patria cogitandum arbitreris, de hoc ne dubita, Ursinum empsisse, aut certe retinuisse, solum Dionem. Nam in librorum catalogo quem ipse Fulvius digerendum curavit et (f. 52ᵛ) sua manu subscripsit suoque sigillo consignavit, altum est de Menologio silentium, et codex noster ita describitur, ut iam tum per se stetisse adpareat. Est autem descriptio haece: *1.* DIONE *il libro 79. et 80. imperfetti, in lettere maiuscole senza accenti, ligato in corame verde et cipresso, libro di più di mille et ducento anni in pergameno in foglio* [3].

Penes Ursinum fragmentum mirati sunt viri docti, tum nostrates tum exteri, quotquot bybliothecam, quam is in superiore aedium Farnesianarum contignatione conlegerat splendideque adornaverat [4], invisere. Memorasse sufficiat illum Angelum Roccam Camertem sodalem Augustinianum, cuius e nomine bybliotheca in coenobio ad S. Augustini Romae

---

[1] ... V. *Ex libris Polybii Megalopolitani selecta de legationibus; et alia quae sequenti pagina indicantur: nunc primum in lucem edita. Ex bibliotheca Fulvj Vrsini*, Antuerpiae 1582, p. 144.

[2] *Cassii Dionis Cocceiani historiar. romanar. quae supersunt* ed. U. Phil. Boissevain III p. VII nota 2 'Latet me quid sibi velit... βιβλίον τοῦ δεκεμβρίου μηνός fol. 1ᵛ summo margine adscriptum. Nihil sane ad Dionem'.

[3] Cod. Vat. lat. 7205 ('nota de' libri scritti a mano') f. 1. Cf. De Nolhac *La bibliothèque de Fulvio Orsini*, Paris 1887, p. 334; *Cass Dionis hist. Romanar. quae supersunt* ed. Boissevain III p. III nota 1.

[4] Cf De Nolhac *op. cit.* p. 14.

Angelica nuncupata est. Qui, miris laudibus extollens bybliothecam Ursinianam, cui primas partes in Urbe dabat, ne Apostolica quidem bybliotheca excepta (quantum ad codicum raritatem, praestantiam et vetustatem), ' celebre Dionis historici fragmentum ' praedicabat ' Bibliis Graecis, quae in Bibliotheca Vaticana reperiuntur, antiquius ' [1].

Cum Fulvius anno 1600 XV kal. iun. e vita discessisset, eius libri tum impressi tum manu exarati in bybliothecam Apostolicam, ut ille testamento caverat, devenerunt (XIII. XI kal. febr. an. 1602) [2]. Et quia codices graeci Ursiniani Vaticanis graecis adiuncti sunt, qui ea aetate numerum 1287 non excedebant, factum est ut Dionis liber, Ursinianorum primus, nota instrueretur 1288, quam hodie prae se fert [3]. In supremis tabulis id etiam ' enixe petierat ' Ursinus a cardinali bybliothecae Apostolicae praefecto pro tempore, ut in singulis libris per custodes curaret inscribi ' Fuluius Ursinus huic Bibliothecae donauit ' [4]. Sed cum legatum magnificum omnibus Romae innotuisset, bybliothecarii Vaticani satis habuerunt in plerisque codicibus graecis adnotare [5] *Ex libris Fuluii Vrsini.* Verba haec in codice 1288 legit Carminius Falco adpicta ' aversae primae paginae ' [6], quam chartaceam fuisse docemur a Carolo Benedicto Hase [7]. In praesens charta ista desideratur, quando et a quo insipienter abscissa, penitus nescimus [8].

Post C. Falconem, qui anno 1722 diu in bybliotheca Vaticana consedit multumque insudavit ut Dionis textum daret auctiorem illo quem Ursinus volgaverat, scripturae laterculos desectos prorsus neglegens, codicem nostrum Angelus Maria Quirinus cardinalis inspexit, immo ' diurna nocturnaque manu versavit per integrum mensem octobrem ' anni 1746, ut ipse adseverat in epistula quam legere est in Dionis editione Reimariana [9]. Cernitur ibi et Vaticani fragmenti specimen, imago integrae paginae 7, archetypi amplitudinem servans atque ad veri similitudinem mediocriter accedens, quam ipse A. Quirinus aere incidendam curavit [10]

Tempora insecuta sunt bybliothecae Apostolicae infensissima, cum, profligatis Romanorum copiis pactisque ad Tolentinum oppidum induciis (XI kal. mart. 1797), Pio VI summo pontifici a Gallis victoribus imperatum est ut codices manu exaratos quingentos [11], e Vaticana bybliotheca selectos, Parisios deferendos traderet [12]. Quos inter Dionis fragmenta fuisse nemo sane mirabitur, qui Gallorum procuratorum sagacitatem noverit. At praetereundum non esse videtur, codicem nostrum, cuius nulla fit mentio in indice Roma misso prid. id. iul. an. 1797 [13], a plerisque codicibus

---

[1] *Bibliotheca Apostolica Vaticana... a fratre Angelo Roccha a Camerino... illustrata*, Romae 1591, p. 400. Cf. De Nolhac *La bibliothèque de Fulvio Orsini* p. 110.

[2] Cf. De Nolhac *op. cit.* p. 120. Dio noster Dominico Rinaldi bybl. Vatic. custodi traditus est, cum aliis libris graecis 112, d. XIII kal. febr., ut videre est in cod. 11 (olim C) archivii bybl. Ap. f. 200 (' consegna de'libri di Fulvio Vrsino ' — ' Libri Greci Manuscritti ') *1. Vn fragmento di Dione in 4 colonne di l(ette)ra maiuscula Antichiss(im)o. sono carte 13 delle q(ua)li l'uultima* (!) *e sempre lacerata in fol. di cor. verd.* Librorum nota absoluta, legitur (f. 206ᵛ) *Io Consaluo Duranti ho consignato li sopradetti libri greci manoscritti di num°. al sigʳ Dom.° Rinaldi per li libri del sigʳ Fuluio Vrsino. questo di 20 di genaro 1602. Io Consaluo Duranti.*

[3] Cf. indicem codicum graecorum Vaticanorum Allatianum a Laurentio Portio ordine alphabetico digestum I f. 186ᵛ Δίωνος ῥωμαϊκῆς ἱστορίας βιβλίον οθ. ἄναρχον. *C. 1288. p. 1.*

[4] Vide sis Fulvii Ursini testamentum (conscriptum XII kal. febr. 1600) in eiusdem *Vita* auctore Iosepho Castalione, Romae 1657, append. p. 22. Cf. De Nolhac *op. cit.* p. 115.

[5] Libris latinis et italicis plerumque, interdum et graecis, descriptiones insertae sunt quae in inventario Ursiniano leguntur, addito auctoris nomine *Ful. Vrs.*

[6] ...*Nicolai Carminii Falconis Cassii Dionis Romanae historiae ultimi libri tres reperti restitutique...*, Romae 1724, p. XXIII. Perperam Falco notam ab ipso Ursino inscriptam adserit.

[7] Byblioth. National. Paris., Suppl. Gr. 810 f. 260.

[8] Certe perpetratum est insulsum facinus post annum 1868, quo anno Hermannus Sauppe notulam legit, ut ipse narrat in opusculo infra laudando (*Ausgewaehlte Schriften* p. 570).

[9] *Cassii Dionis Cocceiani historiae Romanae quae supersunt volumen II... cum annotationibus Hermanni Samuelis Reimari...*, Hamburgi 1752, p. 1545.

[10] *Op. cit.* III, tab. ad pag. 1546. Cf. p. 1545. ' Specimen ' (inquit Hase, cod. Paris. Suppl. Gr. 810 f. 260)... ' hanc habet dissimilitudinem, quod in Codice literarum ductus multo sunt latiores lineaeque paulo magis directae; caeteroqui commodum est '. Hermannus Sauppe in opusculo quod infra laudabimus (*Ausgewaehlte Schriften* p. 570) scribit ' es giebt (das Facsimile Kardinal Quirini) weder die Buchstabenformen überall ganz treu, noch überhaupt die Verbesserungen der zweiten Hand '.

[11] Re vera codices Parisios delati sunt quadringenti sexaginta octo. Cf. *Fragmenta et picturae Vergiliani codicis Vaticani 3225 phototypice expressa consilio et opera curatorum Bibliothecae Vaticanae*, Romae 1899, p. 15.

[12] ' Il papa darà alla republica francese 500 manoscritti a scelta dei suddetti ' (i. e. ' dei commissari, che saranno inviati a Roma '). Haec statuta iam fuerant IX kal. iul. 1796 in pacis condicionibus Bononiensibus (art. 8, ap. G. B. Tavanti *Fasti del S. P. Pio VI*, Italia (!) 1804, III 297; L. Vicchi *Les Français à Rome pendant la Convention* [1792-1795], Rômae 1892, p. 158), haec in novis condicionibus ad Tolentinum oppidum dictatis confirmata sunt (art. 13, ap. Pà.-Baldassari *Relazione delle avversità e patimenti del glorioso papa Pio VI*, vol. I, Modena 1840, p. 291; L. Vicchi *op. cit.* p. 165).

[13] De silentio mirabatur sine causa C. B. Hase (Bibl. Nat., Suppl. Gr. 810 f. 257ᵛ).

Vaticanis seorsum in Galliam migrasse. Illum enim, prope anno interiecto, bybliothecae Apostolicae custodes Iohanni Baptistae Wicar [1], contra fidem foederis, tradere coacti sunt (III id. mai. 1798), una cum aliis sex codicibus praestantissimis, libris impressis 136, eximiaque numorum antiquorum conlectione. Quarum rerum indiculus, ea tempestate conscriptus, haec habet de Dione: *Frammenti di Dione Cassio scritti in foglio membranaceo nel Secolo V. consistente in fogli, notati tra li Manoscritti Greci Vaticani No. 1279* [2].

Perperam qui indiculum confecit librum numero 1279 instructum adserit; perperam illum numero 1278 signat Carolus B. Hase in recensione codicum graecorum e Vaticano Parisios translatorum, quae tantum manu scripta exstat [3]. Erroris vero causam et originem non diu quaeres, opinamur, si in numerum 1288 oculos converteris, qui imo margine adpictus est primae codicis paginae. Ceterum exsilii Parisiensis testis superat in ipso codice, sigillum rubro colore impressum paginis 1 et 25, quod constat siglis *R F* (i. e. *République Française*) inscriptione circumdatis BIBLIOTHEQUE NATIONALE.

Saeculo ineunte XIX (a. 1810-1813), cum Hieronymus Amatus scriptor Vaticanus illud librorum graecorum inventarium consarcinaret, quo hodie etiam utuntur homines studiosi qui bybliothecam Apostolicam adeunt, Dio noster adhuc exsulabat. Notavit enim Amatus *1288 deest*, ea quae volumen contineret non satis recolens aut plane ignorans.

Ut vero anno 1815, rebus Europae compositis, eximia folia cum reliquis Vaticanis codicibus, paucis tantum exceptis, sedi suae restituta sunt, Angelus Maius pone illam Amati notulam tristem et ieiunam scripsit *Dionis Cassii fragmenta antiquissima*, et in margine, quasi exsultans, adiecit *Redux* [4].

Longum est viros eruditos enumerare, qui post reditum fragmenta Dionis curiose examinarunt in bybliotheca Vaticana. Sat erit memorasse (praeter A. Maium [5]) Silvestrium [6] et Tischendorfium [7], quibus scripturae simulacra quaedam debentur; Hermannum Sauppium, qui, cum vere anni 1868 singulas membranas diligentissime explorasset, novas lectiones evolgavit codicemque accurate descripsit [8]; Boissevainum denique, qui specimina phototypice expressa primus edidit cum nova codicis recensione, numeris prope omnibus absoluta, in tertio Dionis sui volumine ad artis leges exacti [9]. Cui recensioni mirum quantum ea debet quae hic subiungitur.

II. – Codicis descriptio.

Codex graecus Vaticanus 1288 [10], qui Cassii Dionis librum 79 paene totum et sequentis prima capita (78, 2, 2-79, 8, 3) unicus servavit, constat membranis tredecim, altis nunc cm. 30, 5-31, latis cm. 22, 9-23, 5; sed eas olim formae prorsus quadratae fuisse primo obtutu omnibus patet. Scriptus est (praeter folium extremum) ab uno librario, atramento fusco, litteris uncialibus quae dicuntur, trinis columnis [11]. Columnae singulae, quarum altitudo est cm. 25,2-26,8, latitudo cm. 6,5-6,9, versus comprehendunt 42, singuli versus litteras 15-20, ut plurimum fere 18. Columnarum, seu laterculorum, exteriorum pars superat vix dimidia; nam bonus homo qui Menologio folia sine pretio

---

1 Huius Wicar pictoris, ceteroqui non plane ignobilis, habentur litterae (ap. L. Vicchi *op. cit.* p. 169), per quas Gallorum ministrum a reipublicae negotiis exteris efflagitat ut de ingenti pecunia summo pontifici expressa sibi aliisque nonnullis artificibus impertiat, qui per tumultus in Gallos Romae concitatos detrimentum acceperunt.

2 *Recensio manuscriptorum codicum qui ex universa Bibliotheca Vaticana selecti iussu Dñi Nri. Pii VI pont. m. prid. id. iul. an. MDCCLXXXXVII procuratoribus Gallorum iure belli... traditi fuere...*, Lipsiae 1803, p. 145. (' Nota di libri, ed altre materie antiquarie richieste alla Biblioteca Vaticana dalla Commissione della Repubblica Francese, e dagli Officiali di essa Biblioteca consegnate al Cittadino Vicard [!] in virtù del Mandato di procura da esso esibito '). Cf. De Nolhac *op. cit.* p. 128.

3 Bybl. National., Suppl. gr. 810 f. 257ᵛ. Opus Napoleone imperante confectum est a. 1805-1806.

4 Alia manus adnotavit *Fra i Ms. che si mostrano.*

5 Cuius manu exstat nota in summo marg. paginae 25 *Ursinus p. 446*. Ceterum cf. *Scriptorum veterum nova collectio* II pagg. 231 nota 2; 566-567.

6 *Paléographie universelle*, Paris 1841, II tav. 7.

7 *Bibliorum codex Sinaiticus*, Petropoli 1862, tav. XX (cf. p. 12).

8 *Ueber die vaticanische Handschrift der Bücher 78 und 79 des Cassius Dio* in Ephemeridibus Gottingensibus 1869 p. 183-200 (= *Ausgewaehlte Schriften*, Berolini 1896, p. 567-577). Antea anonymus quidam membranas excusserat pro editione Bekkeriana (Lipsiae 1849).

9 P. I-IX (cf. *Mnemos.* N. S. 13, 1885, p. 317-321); tab. I (pars superior paginae 6). II (pag. 11). III (pag. 25 additicia).

10 Nota imo marg. paginae 1 adscripta *Cod. Vat. 1288*, ea est procul dubio qua primum liber signatus est postquam in bybl. Vaticanam devenit.

11 Columna 2 paginae 1 inc. ab articulo ΤΗΝ (non a subsequente ΤΟΥ, ut in ed. Boissevainiana), col. 3, pag. 22 desinit ΔΙΟΠΕΡ (non, ut apud Boissevainum, in verbo ΕΓΝΩϹΤΟ).

pretiosa adiecit, et qui seriore aetate codicem iterum compegit, illa, utpote lata nimis madoreque pessumdata, cultro dissecuerunt. In membrana 2 laterculus externus funditus interiit.

Signata sunt folia in imis marginibus, scilicet paginae 2. 4. 6. 8. 10, litteris numeralibus $\bar{\alpha}$. $\bar{\beta}$. $\bar{\gamma}$. $\bar{\delta}$. $\bar{\epsilon}$, ad angulos exteros, paginae vero 15. 17. 19. 21. 23 litteris $\bar{\epsilon}$. $\bar{\delta}$. $\bar{\gamma}$. $\bar{\beta}$. $\bar{\alpha}$, ad angulos internos [1]. At fallitur, ut videtur, Boissevainus cum enumerationem hanc, quae ipsi Ursino adscribenda est, aut certe homini docto eius aequali [2], ' satis antiquo tempore ' adpositam iudicet [3].

Atramentum pluribus in locis adeo evanuit, ut calami ductus tantum supersint iique haud ita facile conspiciantur; aliquando autem membranam tenuissimam levissimamque peredit, ut in ea litterarum formae adpareant velut insectae. Est vero ubi, folio ab atramento utrinque perforato, litterae vix et aegre discerni queant.

Lineae stilo impressae litteras infimas stringunt, sed hastae litterarum *PYΦΨ* et litterae *Ξ* cauda infra descendunt. Vocabulorum initio litterae *I* et *Y* diaereticis, quae dicuntur, punctis notantur. Spiritus et accentus, interpunctionis et elisionis signa librarius constanter omisit, *I* mutum dativis, crebro et coniunctivi activi personis tertiis [4] adscripsit. Compendiis in versibus extremis saepissime usus est, alibi nusquam. Lineola transversa ad frontem vocalis adposita *N* significat [5], cauda e consonante dependens diphtongum *AI*. Coniunguntur unoque, ut videtur, ductu scribuntur litterae *AI AY. TΩ PΩ. ΩI. NHC* [6]: *ΠΡΟC* scribitur *ΠΡ̉C* [7]. Terminationem *OC* apostropho aut puncto, supra lineam ad ultimam vocabuli consonantem adpicto, ter saltem indicatam reperies [8]. Hic illic vocalis una aut littera *C* alteri litterae superimponitur, minutissime exarata. Litterae minoris moduli exeuntibus versibus passim occurrunt; grandiores [9], non nisi in indice capitum (pag. 20) et in principio libri LXXX (pag. 21).

De peccatis omne genus a librario inter scribendum admissis verba facere supersedemus, cum diserte et egregie de re egerit Boissevainus [10].

Codicem, ut iam dictum est, unus librarius totum perscripsit, si ultimam membranam excipias, ubi manus haud multo fortasse recentior, sed crassior satisque inelegantior lacunam supplevit amplissimam, in secundo laterculo paginae 16 ortam aut scribae neglegentia aut quia in codice unde Vaticanus descriptus est folium exciderat. Censet Boissevainus hiatum explevisse scribam illum qui, alterius fortasse codicis ope, librum recognovit et correxit. Profecto ' atramenti color in locis correctis et in folio additicio idem est ' (seu verius, fere idem) ' et virgula vocalis elisae indicatrix in hoc a prima manu scripta est, in ceteris a secunda est addita ' [11]. Attamen ad sententiam clarissimi viri accedere dubitamus, cum correctoris scriptura ab illa qua usus est qui praetermissa subiecit nonnihil diversa nobis videatur. In littera enim *Є* corrector lineam obliquam plerumque dextrorsum producit, quod in folio additicio, quantum vidimus, nusquam occurrit. Corrector ductum angulatum in littera *K* hastae committit [12], praeter consuetudinem librarii qui folium extremum exaravit. Hic litterae *T* antemnam ubique rectam, emendator interdum leviter undulatam pingit (sic Ƭ). Hastula litterae *Y* in folio additicio a furcae angulo ad perpendiculum descendens, in locis emendatis plerumque ipso furcae ramulo dextro constat, infra angulum sinistram versus continuato (sic *y*).

---

[1] Littera $\bar{\zeta}$ desideratur in pp. 12. 13.

[2] Fasciculorum enumeratio antiqua periit, sine dubio, cum folia resecta sunt.

[3] *Op. cit.* III p. III.

[4] Pag. 2, col. 3 (linn. 17. 22–23. 37. 38) *I* mutum ubique omittitur in coniunctivi activi personis tertiis (*ΠΑΘΗ, ЄΚΦΟΙΤΗCΗ, ΘЄΛΗCΗ, ΔΟΛΟΦΟΝΗCΗ*) pariter atque pag. 9, col. 2, lin. 25 *ΔΟΞΗ*, col. 3, lin. 3 ab imo ... *ΝΗCΗ*; pag. 12, col. 1, linn. 20. 22 *⟨CΤЄΡΗ⟩ΘΗ, ⟨ΑΝΑΓΚΑ⟩CΘΗ*; pag. 19, col. 1, lin. 12 ab imo *ΚΑΤΑΔЄΙΧΘΗ*: adscribitur pag. 5, col. 2, lin. 3 *ΔΟΞΗΙ*; pag. 8, col. 3, lin. 23 *ΦΘΑΡΗΙ*; pag. 12, col. 2, lin. 2 ab imo *ΥΠΑΡΧΗΙ*; pag. 16, col. 2, lin. 22–23 *ΤΙΘΑ/ΘЄΥCΗΙ*; pag. 17, col. 2, lin. 10 ab imo *ΠΑ/ΡΑΛΙΠΗΙ*; pag. 24, col. 2, lin. ult. *ΑΠΙCΤΗCΗΙ* Adscribitur etiam in enclitica *ΠΗΙ* pag. 1, col. 1, lin. 8 ab imo.

[5] Lineola transversa librarium significasse etiam, in verborum exitu, syllabam *ON* adseverabat Sauppius (*Ausgewaehlte Schriften* p. 567); perperam, ut videtur.

[6] Litterae *HN, NH* sic aliquando coniunguntur *HN, NH* (v. pagg. 7, col. 1, lin. 5 ab imo; 23, col. 1, lin. 21).

[7] Vide e. g. pag. 5, col. 1, lin. 24; pag. 7, col. 2, lin. 14; pag. 12, col. 1, lin. 25; col. 2, lin. 12 ab imo; pag. 13, col. 1, lin. 3 etc.

[8] Scilicet pag. 20, col. 3, lin. paenult. (in indice libri LXXX) *CЄΥΗΡ' = CЄΥΗΡΟC*; lin. 4 ab imo *ΒΙΤЄΛΛ' = ΒΙΤЄΛΛΟC, ΒΙΤЄΛΛΙΟC* (*Λ* pr. in *Λ* aliam manum immutasse atramenti color ansaeque forma demonstrare videntur); lin 5 ab imo *CΑΒΙΑΝ' = CΑΒΙΑΝΟC* (i. e. *CΑΒΙΝΙΑΝΟC*).

[9] Quae tamen reliquas litteras vix excedant.

[10] *Op. cit.* III p. IV ss. Cf. H. Sauppii *Ausgewaehlte Schriften* p. 568 s.

[11] *Op. cit.* III p. VII nota 1.

[12] Vide tamen p. 12, col. 3, inter lin. 24 et 25 *KЄΡΑΥΝΟC*.

Lemmata vetustissima, in marginibus et inter laterculos addita notis quadratis minutioribus, Boissevainus 'a prima manu'[1] esse putabat. Nos vero ob litterarum formas, quae ab illis quibus usus est corrector haud longe distant, librarium et qui lemmata iniecit inter se distinguendos esse crediderimus. Sunt autem lemmata haece.

Pag. 1, inter laterculum 1 et 2, *ΟΘΕΝ ΚΑΡΑΚΑΛΛΟC ΩΝΟΜΑCΘΗ* (tres litterae extremae fere exstinctae sunt).

Pag. 2, int. lat. 1 et 2, *ΟΠΩC* (perperam Boissevainus *ΩC Ο*) *ΑΝΤΩΝΙΝΟC ΕΠΕΒΟΥΛΕΥΘΗ;* int. lat. 2 et 3 *ΟΛΕΘΡΟC* (alia fortasse manu, antiqua tamen).

Pag. 4, int. lat. 1 et 2, superius, *ΟΝΕΙΡΟC ΕΞ ΟΥ ΠΡΟC ΤΟ ΓΡΑΨΑΙ ΠΡΟΕΤΡΑΠΗ Ο ΔΙΩΝ;* infra, *ΠΕΡΙ ΜΑΚΡΙΝΟΥ ΚΑΙ ΠΟΙΟΙC ΤΡΟΠΟΙC ΕΧΡΗΤΟ.*

Pag. 5, int. lat. 2 et 3 Boissevainus legi posse coniecit *⟨ΔΙ⟩ΟΥ ΤΟΝ ΑΥΡΗΛΙΑΝΟΝ Ο ΜΑΚΡΙΝΟC ΕΦΟΝΕΥCΕΝ.* Sed quam homo doctissimus *Υ* esse suspicabatur, ea sine dubio est littera *Τ*. Huius enim litterae antemnam, seu patibulum, solet lemmatum scriptor (ut interdum corrector) aliquantulum inflectere; litterae vero *Υ* hastulam sinistrorsum ducit constanti usu. Adde quod ante Ο litterarum vestigia nulla penitus in membrana cernuntur. Boissevaini igitur coniecturam alteram *ΟΤ⟨Ι⟩ ΤΟΝ* unice veram existimamus.

Pag. 12, int. lat. 1 et 2, *ΘΑΝΑΤΟC ΪΟΥΛΙΑC.*

Mutila verba, quae in eadem plagula summa Boissevainus legit *ΑΠΟΤΟΥCΑ Κ| ΠΑΛΝΕ*, non recte, ut ipse candide fatetur (legere enim debuit *ΑΠΟ ΤΟΥ C[Α? Η? CΗΜΕΙΟΥ?]...| Κ(ΑΙ) ΠΑΛΙΝ*), ab eadem forsitan manu scripta sunt, quae infra signum illud adpinxit /‾, certe declarabant lacunam in folio ultimo suppletam. Crux parva iuxta signum /‾, et ipsa procul dubio hiatum indicans, videtur antiquior.

Pag. 20, in marg. inf., *Ο ΜΑΚΡΙΝΟC ΕΖΗCΕΝ ΕΤΗ ΝΔ̄.*

Pag. 22, int. lat. 1 et 2, *ΠΕΡΙ ΤΩΝ ΦΟΝΩΝ ΩΝ ΕΙΡΓΑCΑΤΟ.*

Pag. 23, int. lat. 2 et 3, *ΠΕΡΙ ΤΩΝ ΑCΕΛΓΙΩΝ ΑΥΤΟΥ.*

A scriptore horum lemmatum distinguendus est, nisi fallimur, rubricator, qui in pag. 20 subscriptionem pinxit elegantissimam (etsi atramento nigriore, ut opinamur, postea retractatam)

∾ ΔΙΩΝΟC · ΡΩΜΑΪΚΗC · ΪCΤΟΡΙΑC ·

∾ ΟΘ ∾[2]

Lectoris oculos convertisse sufficiat ad litteram *Ρ* adiectivi *ΡΩΜΑΪΚΗC* initio, exilem ceterisque altiorem[3], cum anulo superne in cincinnum desinente hastaque pediculo adornata, ut *P* latinum capitale referat[4].

Seriore aetate paucae notulae adiectae sunt litteris quas minusculas adpellare consuevimus. Saeculo circiter IX has scriptas esse arbitramur:

Pag. 3, in marg. inf., *θάνατοσ αντωνίνου.*

Pag. 5, imo mag., *πε(ρὶ) μακρίνου.* Quae in dextra eiusdem marginis parte scripta erant, quamvis (forsitan ab Angelo Maio) remediis chemicis temptata, non explicavimus.

Mutila et parum clara, quae in summa pagina 12 alia exaravit manus fere eiusdem aetatis, recte Boissevainus legit et integravit *⟨οτι η Ι⟩ουλια η του αντωνινου του ⟨και Καρακαλ⟩λου*[5] *μητηρ απο των | ⟨αυτων χω⟩ριων*[6] *ην τησ σεμιραμιδοσ.*

Pag. 18, in margine sub col. 3, *νεωτερον.*

Pag. 19, imo marg., *περι μακρινου ηττηθεντ⟨ο⟩σ | προσ τα μερη αντιοχειασ.*

Pag. 24, inter lat. 1 et 2, ⁒ s (= *ὅτι σημεῖον*) *ϊατρου υιος | τ' αρχ* (= *τῆς ἀρχῆς*) *ηρα.* Haec Boissevainus sine causa a prima esse manu dubitat, neque animadvertit litteris exarata esse minutis erectis.

Saeculo X, potius quam IX, tribuerimus adnotatiunculam in margine inferiore paginae 2 adpositam *περι φαρμακων* et illam... *εσ τουσ αυτοκρατορασ* in pag. 5, sub laterculo 2. Neque alia forsitan aetate pictae fuerunt litterae numerales ad

[1] *Loc. cit.*

[2] In capitum indice qui sequitur, lin. ult., scriptum est *ΑΥΡΗΛΙΟCΕΥΗΡ'*, non, ut putabat Boissevainus, *ΑΥΡΕΛΙΟCΕΥΗΡ'*.

[3] Pariter atque littera Δ initio nominis *ΔΙΩΝΟC*.

[4] Cf. K. Kalbfleisch u. H. Schöne *Griechische Papyri medizinischen und naturwissenschaftlichen Inhalts*, Berlin 1905, tav. V (pap. 9095, saec. I).

[5] Nobis superesse videntur elementa *ρακαλλου*.

[6] Prioris ω pars dimidia superest.

[7] Notula pertinet ad ea quae narrantur 78, 6, 3.

margines et inter laterculos pp. 3. 12-13. 15; quae quid sibi velint non invenimus. Contra, nulla indigent explicatione notae illae sollemniores $\overset{\rho}{\omega}$ (pp. 1. 20) et *Cн* (passim).

Exeunte saeculo XII imperitissimus scriba, qui summae paginae 2 lemma iniecit *βηβλῆον τδυ δεκηβρῆου μῆν̂*, paulo inferius enisus est primum et alterum versum laterculi medii describere *ΠΡѠΜΙЀΗ νον ΑΥΤѠΙ ΛΗΨЄCΘΑΙ ΠΡΟCΔΟΚ* (id est *ΠΡѠΜЄΝΟΝ ΑΥΤѠΙ ΛΗΨЄ CΘΑΙ ΠΡΟCΔΟΚ ѠΝ*). De verbo *μετὰφραση* sub idem tempus currenti calamo conscribillato in margine inferiore paginae 23, satis iam diximus (p. 7).

Nonnullis in locis, ideo fortasse quod scriptura pariter et pergamena ad interitum ruere videbantur [1], nescio quis frustula membranea superadglutinavit, ibique quas contexerat litteras verba versus rescripsit.

Rescriptae fuerunt in pagina 10 lineae 1-3 laterculorum 2 et 3 (ut monstrat exemplar phototypum); satis diligenter, profecto, erratum enim adnotavimus unum, lat. 2, 2, *ΟΥΤѠC* pro *ΟΥѠ̄*.

Pag. 15 rescriptos invenies tres primos versus laterculorum 1 et 2, tres extremos (sed ex parte tantum) laterculi 2; p. 19 tres primos columnae 1 (in v. 2 iam antiquus emendator addiderat *Α* supra *ΓΝΟΥCΙΝ*), extremos quattuor columnae 3 [2]. Pag. 22 denique, in schedulis adglutinatis iterum exarati sunt versus 40-42 laterculi primi (in v. 1 librarius scripserat *ΤѠ*, non *ΤѠΝ ΤЄ*) et versus 1-3 laterculi 3 (in v. 2 scriba *ΝΙΓΡΙ*, non *ΝΙΓΡΙΝΟΥ* pinxerat et *ΠΟΛЄΜѠΙ*, non *ΠΟΛЄΜΟΥ*, *ΟΥ* corr. supra lin. *Ѡ*).

Codicis tabulas ligneas, corio subobscuro contectas aureisque ornatibus impressas, eas esse arbitramur quas describit index Ursinianus, colore tantum mutato.

Restat ut paucissima perstringamus de foliorum aetate.

III. - De codicis aetate.

Fulvius Ursinus, cum Dionis fragmenta publicaret, supra mille ab inde annos codicem suum exaratum fuisse adseverabat, i. e. saeculo fere VI [3]; Angelus Rocca illum Bybliis Vaticanis antiquiorem iudicabat [4]; Carminius Falco ' quarto vel summum quinto saeculo ' non dubitabat adscribere [5]. Leonardus Hug in Commentatione de Vaticani codicis sacrorum Bybliorum 1209 aetate, ' Has autem membranas, ' inquit, tot antiquitatis indicia luculenta commendant, ut inter libros scriptos quotquot in Bibliothecis conspiciuntur, parem non inveniant, et si non nostrum (Vaticanum Bybliorum), superiorem nullum ' [6]. Hermannus Sauppius de Dionis scriptura pronuntiat ' Sie gehört, so weit sich darüber mit einiger Sicherheit urtheilen lässt, in den Anfang oder die Mitte des 5. Jahrhunderts ' [7]. Carolus B. Hase in recensione illa manu scripta librorum Vaticanorum, quam saepe laudavimus, ' De aetate codicis, ait, ego mei iudicii esse statuo nihil, nisi hoc, eum vix sexto saeculo esse posse posteriorem '. Sexto saeculo sine dubitatione tribuebat Silvestrius, *Paléographie universelle* II tab. 7. Novissime Boissevainus [8], pro saeculo propendens V-VI, scribit: ' Liber Vaticanus inter vetustissimos sacrae scripturae codices Sinaiticum, Alexandrinum, Sarravianum et notum Dioscoridis librum Vindobonensem medium fere locum obtinere videtur, ita tamen ut ad hunc paulo magis accedat '.

Sed Dioscuridis scriptura ' ad saeculi V finem vel initium saeculi VI pertinens, ' [9] magis a Dione discrepare nobis visa est, quam sacrorum Bybliorum codices Vaticanus, Sinaiticus, Sarravianus, praesertim Alexandrinus. Elementorum formae primo obtutu minus speciosae adparent in Dioscuride, etsi diligentius pictae. Litterae *Κ* ductus angulatus ab hasta longe distat; in littera *Μ* linea obliqua ex vertice hastae initialis descendens crassior est (praecipue ad angulum supe-

[1] Folia omnia adparent plus minus madore pessumdata ad margines exteriores.

[2] Rescriptae sunt etiam primae litterae versuum 1 et 2, extremae vv. 40-42, columnae 2. — Pag. 21, 1 *ΑΥЄΙΤΟC* scribitur; quod Boissevainus in adp. crit. neglexisse videtur.

[3] ... *Ex libris Polybii Megalopolitani selecta de legationibus* etc. p. 144. Cf. supra p. 7.

[4] V. supra p. 8.

[5] ... *Cassii Dionis Romanae historiae ultimi libri tres* p. XXIII.

[6] *De antiquitate codicis Vaticani commentatio qua Albertinae Magni ducatus Zahringo Badensis Universitatis litterarum nomine initia lectionum publicarum ad. XXX Aprilis CIↃ IↃ CCCX indicit* p. 13.

[7] *Ausgewaehlte Schriften* p. 567 Saeculo V codicem tribuit et an Ed. Thompson Ἐγχειρίδιον ἑλληνικῆς καὶ λατινικῆς παλαιογραφίας κατὰ μετάφρασιν Σπυρίδ. Λάμπρου, Athenis 1903, p. 258.

[8] *Cassii Dionis Cocceiani historiar. Romanar. quae supersunt* III p. III nota 2.

[9] *Dioscurides, Codex Aniciae Iulianae picturis illustratus nunc Vindobonensis Med. Gr. 1 phototypice editus*... Praefati sunt A. de Premerstein, C. Wessely, Ios. Mantuani I, Lugduni Batavorum 1906, pp. 5. 201.

riorem); littera Ξ parva angularis inelegans; litterae Π iugum, ab hastis excurrens, desinit in puncta; hasta litterae Φ (cuius anulus haud raro in altitudinem magis quam in latitudinem patere videtur)[1] non modo versum superiorem inferioremque saepenumero adtingit, sed quandoque (parum belle, Iuppiter!) in ipsas litteras penetrat. Quod dicendum est etiam de imis hastis litterarum Ρ Υ Ψ. Ductus subtilis in Χ rectus est et brevior.

Haec et alia quae codicis Vindobonensis scripturam a Dione Vaticano discriminant, satis perspicue, nostra quidem sententia, demonstrant, illum seriorem esse, aut certe (ut supra adfirmavimus) dissimiliorem, quam codices Vaticanus, Sinaiticus, Sarravianus et Alexandrinus. Quorum duo primi antiquissimi videntur (saec. IV) et pulcherrimi[2]. Ibi litterae (fere ubique in cod. Vaticano insipientissime retractatae) nusquam inter se coniunguntur. Ductus transversus in Γ rectus est, neque in apicem crassiorem sic desinit, ut formam referat litterae Ρ anulo aperto instructae. Linea inferior litterae Δ, litterarum Є et C cornua punctis carent quibus in Dione pariter atque in Dioscuride ornata sunt. Litterae Ξ cauda vix infra lineam descendit neque, ut in nostro codice, sinistrorsum flectitur. Hasta litterae Ρ brevior est, venter perparvus[3].

Eadem fere de Sarraviano codice repetas, qui 'saeculo vel quarto vel saltem ineunte quinto' a duobus librariis, ut iudicat Omont v. c.[4], binis laterculis descriptus est. Litterarum formae haud multum ibi discrepant a codicibus Vaticano et Sinaitico, qui tamen venustate, ut nobis visum est, longe praestant.

Minus a Dione distat liber Alexandrinus, quem vertente saeculo V fuisse exaratum, inter homines doctos, quantum scimus, plane convenit. Sed eius scriptura, duabus columnis iisdemque latioribus, conferta, depressa, inelegantior, ad Dioscuridem paulo propius videtur accedere[5]. Litterarum enim Ρ Φ Ψ hastae solent ad versum inferiorem extendi (quod praesertim oculos offendit in indicibus capitum); hasta et angulus in Κ nunquam inter se contingunt; littera Ξ parva, angularis, caudae flexu interdum caret; litterae Π iugum saepe, ex hastis utrinque procurrens, apicibus ornatur.

Sacrorum Bybliorum codex qui cum Dione litterarum formis ductuque vel maxime, nostro saltem iudicio, consentit, est Vaticanus graecus rescriptus 2061 A, fragmenta continens – trinis exarata laterculis – Actuum Apost. epistular. apostolicar. epistular. Pauli, et saeculo V una paene voce adiudicatus[6]. Animum advertas velimus praecipue ad litteram Ξ rotundiorem et caudatam infra lineam, omnino ut in nostro codice. Ceterum si litterae Γ ductus transversus, litterae Δ linea inferior, litterarum Є et C cornua punctis crassioribus ornantur, at in Π iugum hastas nunquam exsuperat. Ductus angulatus litterae Κ distat ab hasta, cui tamen crebro lineola coniungitur (ut in Dionis subscriptione p. 20); hastae litterarum Ρ Φ Ψ versum inferiorem tangere solent (ob modicum linearum intervallum); litterae Τ antemna inflectitur[7] (haud secus quam in Dionis emendationibus et lemmatis); furca litterae Υ est grandior ideoque inelegantior. Cum codice 2061 A copulandam esse arbitramur scripturam antiquam foliorum 14. 19 codicis Vaticani graeci palimpsesti 2285; quae folia pertinuerunt ad librum auctoris profani adhuc nobis ignoti, saec. V tripertito descriptum, ut 2061 A, sed litteris paulo crassioribus diductioribusque. Scripturam illam a librario posteriore magna ex parte contectam et, fortasse A. Maii temporibus, remediis chemicis corruptam potius quam resuscitatam, Iohannes Mercati conlega noster magno labore nunc investigat et persequitur, eumque reliquias auctoris illius, quicunque est, brevi editurum speramus.

---

[1] Ab hac anuli forma abhorrent non modo librarii codicum Vaticani, Sinaitici, Sarraviani, Alexandrini, Ambrosiani A 147 inf. (cf. *Facsimili greci della Bibl. Ambrosiana* tav. 5), sed etiam qui saeculo fere V commentarium illum in Parmenidem exaravit (scriptura usus admodum diversa) ap. C. Cipolla *Codici Bobbiesi della Biblioteca Universitaria di Torino*, Mediolani 1907, tav. IX (cf. textus p. 59-60).

[2] De cod. Vaticano cf. C. R. Gregory *Textkritik des Neuen Testamentes*, Leipzig 1900, p. 32 ss.; de Sinaitico, ib. p. 18 ss.

[3] V. *Bibliorum SS. Graecorum codex Vaticanus 1209 (cod. B) denuo phototypice expressus iussu Pii X et cura praesidum Bibliothecae Vaticanae*, pars prima, Testamentum vetus, tom. I (pagg. 1-394), Mediolani 1905; tom. II (pagg. 395-944), Mediolani 1906; tom. III (pagg. 945-1234), Mediolani 1907: pars secunda, Testamentum Novum, Mediolani 1904. – *Bibliorum Codex Sinaiticus Petropolitanus*... ed. Constantinus Tischendorf, Petropoli 1862.

[4] *Vetus Testamentum graece, Codicis Sarraviani Colbertini quae supersunt in Bibliothecis Leidensi Parisiensi Petropolitana phototypice edita.* Praefatus est Henricus Omont, Lugduni Batavorum 1897, p. III.

[5] V. *Facsimile of the Codex Alexandrinus published by order of the Trustees and Sold at the British Museum*... 1870. De codicis aetate vide sis Gregory *Textkritik* p. 31.

[6] De hoc libro (olim Basiliano 100, antea Patiriensi 27) vide sis Gregory *Textkritik des Neuen Testamentes* I, Leipzig 1900, p. 104-105 (cf. *Prolegom. in Nov. Testam.* ed. VIII crit. maior p. 447-448); Batiffol-Sanday in *Revue biblique international* IV, 1895, p. 207-213; Batiffol *L'abbaye de Rossano*, Paris 1891, pp. 62. 71-74. Cf. etiam Montefalconii *Diarium italicum*, Parisiis 1702, p. 214; *Palaeographia graeca*, 1708, p. 213; *Bibliotheca Bibliothecarum*, Parisiis 1739, I 195.

[7] Vide tab. 30, col. ext., linn. 25 et 26

Nobis itaque Dionis folia Vaticana media esse videntur inter divinarum Litterarum libros Vaticanum Sinaiticum Sarravianum et Alexandrinum Vaticanumque 2061 A, nec non Vat. 2285, ita ut exarata censenda sint ante labentem saeculum V.

Ad codicis patriam quod attinet, vitia quaedam librarii (*Y* omissum, O pro *A*, *A* pro *O*, *P* pro *A*) ' ex vulgari elocutione fortasse Aegyptiaca explicanda ' esse putabat Boissevainus [1]. Hoc si verum, Dionem in Aegypto descriptum non sine causa conieceris. Cui coniecturae etiam favere credideris similitudinem fragmenti Vaticani cum libro Alexandrino, de cuius origine aegyptia viri rei palaeographicae periti plerique consentiunt [2]. At certi et fixi nihil statui posse aestimamus, nihil satis probabile.

[1] *Op. cit.* III. p. VI.

[2] De Vat. 2061 A W. Sanday in *Revue bibl.* IV 213 scribebat. ' Ipsum codicem crediderim ex oriente adlatum, lectiones enim graeco latinae prius per exemplar aevo remotum, orientales posterius invectae videntur '.



TABULARUM INDEX.



Cod. Vat. 1288

Dio 78, 2, 2-4, 3.

Dio 78, 4, 3-6, 4.

Dio 78, 6, 4-8, 1.

Dio 78, 8, 6-11, 1.

Dio 78, 11, 1-12, 5.

Dio 78, 12, 5-14, 2.

Dio 78, 14, 2-16, 2.

Dio 78, 16, 2-18, 1.

Dio 78, 18, 1-19, 5.

Dio 78, 19, 5-21, 4.

Dio 78, 21, 5-23, 3.

Dio 78, 23, 3-25, 3.

Dio 78, 25, 3-26, 7.

Dio 78, 26, 7-28, 3.

Dio 78, 28. 3-31, 1.

Dio 78, 31, 1-4, 34, 1-7.

Dio 78, 34, 7-37, 1.

Dio 78, 37, 1-38, 3.

Dio 78, 38, 3-40, 3.

Dio 78, 40, 3-41, 4; index libri subsequentis.

Dio 79, 1, 1-2, 5.

Dio 79, 2, 5-4, 4.

Dio 79, 4, 4-6, 1.

Dio 79, 6, 1-8, 3.

25


ΥΣΚΑΙΠΟΛΕΜΗΣΑΝΤΑ[illegible]
ΤΙΧΕΙΔΥΝΗΘΕΙΣ[illegible]
ΤΟΑΥΘΗΜΕΡΟΝΛΑΒΕΙ
ΟΙΓΑΡΜΑΥΡΟΙΟΙΤΩΤΑ
ΡΑΥΤΑΚΑΤΑΤΟΣΥΜΜΑ
ΧΙΚΟΝΠΕΜΦΟΣΙΝ[illegible]
ΠΡΟΘΥΜΟΤΑΤΑΥΠΕ
ΤΟΥΜΑΚΡΙΝΟΥΑΤΕ
ΚΑΙΟΜΟΕΘΝΟΥΣΣΦΙ
ΣΙΝΟΝΤΟΣΗΓΩΝΙΣΑ
ΤΟΩΣΤΕΚΑΙΠΥΛΑΣ
ΤΙΝΑΣΔΙΑΡΡΗΞΑΙΟΥ
ΚΗΘΕΛΗΣΕΝΥΠΟΤΟΥ
ΦΟΒΝΟΣΙΣΕΙΣΑΡΑΜΕΙ
ΕΙΤΕΚΑΙΣΑΠΗΣΑΣΣ
ΚΟΝΤΑΣΤΟΥΣΣΗΔΟ
ΠΑΡΑΣΤΗΣΕΣΘΑΙΩΣ
ΛΟΥΤΕΤΙΣΑΥΤΩΕ
ΠΕΚΗΡΥΚΕΥΕΤΟΚΑΙ
ΠΡΟΣΕΤΙΤΑΣΠΥΛΑΣ
ΠΑΣΑΣΤΗΣΝΥΚΤΟΣ
ΑΠΟΚΟΔΟΜΗΣΑΣΩΣ
ΤΕΕΝΑΣΦΑΛΕΣΤΕΡΩ
ΕΙΝΑΙΠΡΟΣΕΒΑΛΕΝ
ΜΕΝΑΥΘΙΣΑΥΤΟΙΣ
ΕΠΑΙΡΑΝΕΣΟΥΔΕΝ
ΤΟΝΤΕΓΑΡΑΟΥΕΡΓΟ
ΝΟΝΜΑΥΡΑΝΤΩΝΙ
ΝΟΝΠΑΠΠΡΟΣΗΓΟ
ΡΕΥΟΝΠΕΡΙΦΕΡΟΝ
ΤΕΣΥΠΕΡΤΟΥΤΕΙΧΟΥ
ΚΑΙΕΙΚΟΝΑΣΤΙΝΑΣ
ΤΟΥΚΑΡΑΚΑΛΛΟΥΠΑΙ
ΔΙΚΑΣΩΣΚΑΙΠΡΟΣ
ΦΕΡΕΙΣΑΥΤΩΑΠΟΛ
ΚΗΥΙΓΕΣΠΑΙΔΑΤΕ
ΟΝΤΩΣΑΥΤΟΝΕΚΕΙ
ΝΟΥΚΑΙΔΙΑΔΟΧΟΝ
ΤΗΣΑΡΧΗΣΕΙΝΑΙΛΕ
ΓΟΝΤΕΣΚΑΙΤΙΤΑΥ
ΤΑΩΣΥΝΣΤΡΑΤΙΩΤΑ
ΠΟΝΕΡΓΑ[illegible]

[illegible]ΟΥΤΕΥΕΡΓ[illegible]
[illegible]ΥΕΙΜΑ[illegible]
ΕΚΒΟΩΝΤΕΣ
ΤΟΥΣΣΥΝΤΟ
ΜΑΚΩΣΤΡΑΤ
ΑΛΛΩΣΤΕΚΑ
ΘΥΜΩΣΠΡΟ
ΝΕΩΤΕΡΟΝΕ
ΕΧΟΝΤΑΣΔΙΕ
ΩΣΤΕΤΟΥΣ
ΠΕΤΕΤΑΓΜΕΝ
ΣΦΙΣΙΝ[illegible]
ΙΟΥ[illegible]ΟΥΔΕ
ΓΑΡ[illegible]ΕΠΑ
ΕΑΥΤΟΥΣΤΑΤΕ
ΓΑΡ[illegible]ΑΤΟΥΣΕΥ
[illegible]ΝΩ ΑΡΑ
ΛΟΥΜΑ[illegible]ΟΜΕ
ΝΟΥΣ[illegible]ΡΑΥΤΟΥ
ΥΠΟΤΕΡΩΝ[illegible]
ΤΑΡ[illegible]ΩΝΚΑΙ[illegible]ΩΝ
ΑΛΛ[illegible]ΟΜΣΙΟ
ΝΩΝΚΑΙΤΟΥΤΟΥ
ΔΙΑ[illegible]ΕΛΛΟΝΤΑΣΘ
ΕΥΤΥΧΙΑΝΟΣΤΟ
ΦΗΣΤΟΝΚΑΤΑΤΟΝ
ΤΟΥΤΑΡΑΥΤΟΥΠΡΟ
ΚΟΙΤΩΝΑΠΤΩΝΟ
ΜΑΣΘΝΕΠΕΙΣΣΕΝ
ΑΠΟΣΦΑΞΑΙΠΑΝΤΑΣ
ΕΚΕΙΝΟΥΣΛΟΙΠ[illegible]
ΣΦΙΣΙΤ[illegible]ΤΟΥΤ[illegible]
ΕΠΙΖΟΝΤΟΣ[illegible]
ΣΙΑΝΤΕΚΑΙΧ[illegible]ΡΑΝ
ΣΕΙΓΗΣΤΡΑΤ[illegible]
ΘΕΙΣΚΑΙ[illegible]
ΚΑΙ[illegible]
ΓΟΥ[illegible]ΥΣΕΔΗ
[illegible]ΟΡΗΣΕΝ[illegible]
[illegible]ΤΕΠΡΑ
[illegible]
[illegible]ΚΡΙΝ[illegible]ΝΩΣ

[illegible]
[illegible]
ΝΑΤ[illegible]
ΑΡ[illegible]
[illegible]
ΕΡΙΜΕ[illegible]
ΜΑΤΕ[illegible]
ΛΣΑΙΚ[illegible]
ΕΙΣΧΕ[illegible]
ΠΑΝΤ[illegible]
ΛΟΙΠΟ[illegible]
ΑΡΧΑΙ[illegible]
ΚΑΙΕΠ[illegible]
ΕΧΟ[illegible]
ΜΑΛΙΣΤ[illegible]
ΑΝΗ[illegible]
ΚΑΣ[illegible]
ΩΣ[illegible]
ΝΕΣ[illegible]
ΟΥΓΑ[illegible]
[illegible]
[illegible]
ΤΟΥΤΑΡ[illegible]
ΛΟΥ[illegible]
[illegible]
ΠΑΡΑΝ[illegible]
ΕΙΓΕ[illegible]




Dio 78, 32, 1-33, 2.



Dio 78, 33, 2.







Codicis Vaticani graeci rescripti 2061 A fol. 192.

Codicis Vaticani graeci rescripti 2061 A fol. 294.